SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA
Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 91r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



.III.

et de culpa contraria :

Ulterius intendendum quod gratia non solum fluuio sed est etiam similis uento. Nam uentus est primo deductiuus et promotiuus fortissime enim in mari curritur. Si bono uento et forti nauicula impellatur. Et sic in mare mundi porosse nauigat et cito magre peragrat quem diuine gratie uentus pulsat. Secundo uentus est aeris serenatiuus quia est omni nubium solem obumbrantium fugitiuus. Sic et gratia dum omnia peccata ab anima tollit in eam spiritualem serenitatem inducit. Tercio uentus est amoris superflui consumptiuus. et lubricitatis uiarum et in mundicie siccatiuus quia gratia humorem uenereum consumit et omnem fluxum malum ab anima tollit dum luxuriam in castitatem conuertit. Quarto uentus est ignis in lignis excitatiuus. Vnde fabri habent conflatoria ignis in carbonibus excitatiuus. Sic et gratia dum ingreditur animam amoris in eo excitat flammam. Quinto uentus est cineris et pulueris dispersiuus. Incinere simul et puluere leuia peccata intellige que gratia inualescente etiam in anima consumuntur. Sexto uentus est terremotus generatiuus dum terram concutit infra eam inclusus. Et scindendo nubem et tonitrui causatiuus quia gratia in cordibus humanis inclusa uel calore supremi solis in intimis generata et tonitruum diuini timoris in anima parit et terremotum contricionis inducit :

Quod uentus est similis uento et nubi culpa contraria :

Econtra uentus per proprietates alias culpam significat. Nam uentus primo est penitus inquietus et eius incessus semper est tortuosus. Numquam rectus quia peccatum facit iter hominis inquietum semper tortuosum numquam rectum quia numquam placidum. Quia corta intencione factum. Secundo uentus

.IX.

.X.